

emporium Ingens, totius regni Danici sedes prima. Videmus jam variis nominibus illam crevisse; ar-
cem Axelhus dictam esse, quod Absalon eam con-
didisset primus, ibique resideret illuc veniens;
postea huic munitiōni burgum subjectum, civitatis,
et quidem munitæ, quæ castrum et castellum dici
solet et burgum, eaque civitas Stegelborg appellata
[Dubito an unquam Stegelborg appellata sit] ideo
quod tam alte et prærupte sita esset, ut non nisi
gradibus ex mari in eam ascendere possent, a
portu vero insigni $\kappa\alpha\tau'\iota\sigma\sigma\chi\alpha\nu$ Hafn vocata fuit. Sic
domum episcopi et domum principis vocat Adamus
Bremensis munitissimas illas arces Hamburgi ab
illis structas; castellum vero Hamburgense civita-
tē ipsam fortissimis operibus inclusam, civium
domos et negotiationes ab incursibus hostium de-
fendens; unde confutantur illi qui civitatem nul-
lam Absalonis tempore Hafniam fuisse credunt,

arcemque et domum solam episcopi, prætereaque
nihil hic exstitisse. *Chronicon parvum de rebus Da-
nicis*, quod edidit nuper Arnas Magnæus Islandus,
idem nomen Hafn Emporio tribuit ad annum 1249.
Villa Hafn devastata est. Villa hic sumitur, ut
Francicis *la ville* pro oppido. Hoc igitur vetus no-
men civitatis; mercibus vero affluentibus *Kisben-
hafn* vocari cœpit, ut Germanis *Coopmannehaven*,
ita ut Francici et hodierni Germani perperam *Co-
penhagen* pro *Copenhagen* scribant; quod lubentes
sequuntur omnes, nec errorem videre volunt, quo-
niam Francicos errando etiam non errare credi
vulgus.

(*) [Athoni magistro Laterum. Coniicio hunc
fuisse inspectorem operariorum, qui lateres co-
quebant, præsertim cum statim post mentio sit la-
picidæ].

ANNO DOMINI MCCII.

WILLELMUS DE CAMPANIA

AD ALBAS MANUS DICTUS,

ARCHIEPISCOPUS REMENSIS.

NOTITIA.

(*Gallia Christiana nova*, tom. IX, pag. 95.)

Guillelmus de Campania, dictus ad albas manus; C
vernacule *aux blanches mains* (perperam in quibus-
dam schedis *aux grands chemins*), inter filios Theobal-
di IV Campaniæ comitis et Mathildis Carinthiacæ
quartus erat. Clero ascriptus admodum juvenis,
plures simul diversis in ecclesiis seu præbendas
seu dignitates obtinuit; donec electus Carnotensis
episcopus transiit primo ad Ecclesiam Senonensem,
deinde, ineunte anno 1176, ad Ecclesiam Remensem.
Senonensi cathedræ impositus legatione apostolica
functus erat in Galliis; quod munus adimplere per-
rexit factus archiepiscopus Remensis. Durocortori
statim ac receptus est (receptus autem dicitur vi Id.
Aug.) statuit dignissimos antistes per annum inte-
grum in choro præsens adesse, quo frequentius can-
onici sui divino interessent officio, et ut lites quæ
subinde inter clericos emergebant per se dirimeret,
donationesque decessorum suorum certior ipse præ-
sentia sua factus confirmare posset. Fuit autem,
inquit Marlotus, inter archiepiscopos Remenses

primus, qui dioceseos suæ neque abbatibus neque
ecclesiæ cathedralis dignitatibus vocatis subscri-
pserit solus diplomatibus suis, nullo etiam apposito
sui pontificatus anno, quamvis sigillum commune
retinuerit, in quo expressa archiepiscopi effigies ex
una parte, ex altera vero Virginis Deiparæ cum
hac inscriptione: *Secretum meum mihi*

In ipso sui pontificatus Remensis initio indulgen-
tias concessit fidelibus ad nundinas Paschales lepro-
sariæ Remensis concurrentibus. Eodem anno, cum
xvi Kal. Octobr. in urbe Maceris, quæ olim ex Flo-
doardo episcopi Remensis fuerat, Manasses Regi-
testensis comes collegiatam fundasset, Guillelmus
canonicis recens institutus altaria S. Remigii de
Reomonte et S. Marcelli largitus est. Eodem rursus
anno Nivelodem consecravit episcopum Suessionen-
sem, illique ac cæteris provinciæ suæ episcopis
scripsit Alexander III papa, finem tandem feliciter
accepisse schisma illud teterrimum quod inter se
et Fridericum I imperatorem exarserat. Guillelmus

provinciam lustrans partitionem præbendarum inter Noviomenses canonicos ut metropolita comprobavit, scriptoque fassus est Noviomensi episcopo non licere quempiam ex choro majoris ecclesiæ excommunicationi submittere. Anno sequenti, ix Kal. Aug. Marchianensis cœnobii ecclesiam, præsentibus Frumoldo Atrebatensi, et Eyrardo Tornacensi episcopis, dedicavit, Anno 1178 peregrinationis ergo in Angliam transfretanti ad S. Thomæ Cantuariensis tumulum, sibi olim amicitia conjunctissimi, rex Henricus obviam ivit, xeniaque splendida obtulit. Solutis votis, redudem in Franciam Balduinus comes Gisenensis lauto et magnifico apparatu excepit apud urbem Ardeam; quod convivium descripsit Lambertus presbyter in historia comitum Gisenensium. Anno 1179, mense Martio, interfuit concilio Lateranensi, in quo creatus est presbyter cardinalis S. Sabinæ, et Rogerum coram summo pontifice cæterisque concilii Patribus consecravit episcopum Cameracensem. Eodem tempore, dum adhuc Romæ degeret, cujusdam Remorum decreti, quo velitum erat ne quis prædia in eleemosynam ecclesiæ conferret, rescissionem obtinuit a summo pontifice speciali diplomate, quo sic habetur: «Constitutionem insuper civium vestrorum, per quam vetuisse dicuntur, fundum vel prædium vendi, legari, aut in eleemosynam ecclesiæ vestræ conferri, velut perniciosam nullam decernimus.»

Præterea cum vigeret adhuc Senonensem inter et Remensem archiepiscopos discordia de jure Francorum reges inungendi, licet Philippus interim et Ludovicus VII Durocortori, Senonensi nullatenus reclamante, inaugurati fuissent, obtinuit Remensis bullam Alexandri III, qua insigne hoc munus illi soli adjudicatur, ab ipso Ludovico VII, et ab aliis postea Romanis pontificibus confirmatum. In Gallias rediit creatusque, ut fertur, dux et par Franciæ, Philippum Augustum sororis suæ Adelæ et Ludovici VII Francorum regis filium inunxit in regem Francorum Kal. Novembr. ejusdem anni, ministrantibus sibi Turonensi, Bituricensi, Senonensi archiepiscopis, atque omnibus fere Galliarum episcopis. In ea autem solemnī pompa præibant juniore regi Henricus junior Angliæ rex, idemque dux Normaniæ, filius Henrici II Angliæ regis, gestans coronam auream qua coronandus erat Philippus comes Flandriæ, gladium imperii sustollens, aliique duces, comites et barones diversis deputati obsequiis; at Ludovicus VII, senio et morbo laborans paralytico, adesse ipse non potuit. Ab illo vero tempore ad nostra usque tempora archiepiscopi Remenses non solum inter duces ac pares Franciæ recensiti sunt, sed et inter eos primatum semper obtinuerunt. Guillelmus cum in coronando rege maximas expensas fecisset, æreque alieno ob id gravaretur, petiit a capitulo Remensi subsidium aliquod ex communi ærario; sed ne ex illo deinceps cano-

nici aliquid paterentur detrimenti, declaravit anno 1180, illos ab hujusmodi expensis esse immunes.

Anno circiter 1180, opem ferentibus tam archiepiscopo quam canonicis Remensibus, ecclesia S. Balsamiæ, et reedificari cœpit, et in collegiatam crecta est, cujus præbendæ omnes iisdem fere privilegiis atque immunitatibus gaudent quibus capitulum ipsum Remense, cui obnoxie sunt. Eodem circiter tempore reprehensus est Guillelmus a Lucio III summo pontifice quod solvisset ligatos ab episcopo Bellovacensi, præcipue vero comitem Clari montis, quem de mandato ipsius Remensis archiepiscopi excommunicaverat præsul Bellovacensis, terra ejusdem comitis interdicto suppositæ. Anno 1181 dicitur in chronico Nangii conspirasse in regem et totam Franciam conturbasse cum duce Burgundiæ, comite Flandriæ, comite Blesensi, et comite Sacri cæsaris. Anno 1182 scabinos ab Henrico decessore suo sublato civitati Remensi restituit princeps non minus magnificus quam pacis amans. Anno sequenti iisdem civibus culturam concessit extra urbis ambitum, quo ædificiis de novo constructis pomærium ejus protegeretur, translatis in eam nundinis Paschalibus quæ juxta leprosororum sacellum, ut diximus, celebrabantur. Eodem anno assumptus est a Philippo Augusto in primarium regni administrum; multosque statim hæreticos ab illo et a Philippo comite Flandriæ combustos in Flandria Nangius asserit: «Illi, inquit ille, dicebant omnia æterna a Deo creata; corpus autem hominis et omnia transitiva a Lucibelio creata; baptismum parvulorum et eucharistiam reprobabant; sacerdotes missas celebrare ex avaritia et oblationum cupiditate dicebant.»

Quam præclare autem in administrandis rebus se gesserit testatus est ipse Philippus Augustus. Cum enim Lucius papa, desiderio eum visendi flagrans, Romam ut veniret multis litteris cohortatus esset, ille vero ob regni negotia votis ejus non posset satisfacere, scripsit rex Christianissimus ad summum pontificem in hunc modum (1): «Impugnant adolescentiam nostram et auspicia regni nostri perturbare contendunt potentes, et qui multiplices ex causa fidem nobis debuerant, infideles adversarii, quorum improbitate compellimur et consilia nova querere, et auxilia corrogare. Assistit nobis super omnes amicos et fideles nostros charissimus avunculus noster Willelmus Remensis archiepiscopus, in consiliis nostris oculus vigilans, in negotiis dextera manus. Quem vel ad tempus recedere a nobis, succedere est hostibus nostris, qui sicut absque armis, ita et absque amicis nos esse votis infidelibus irreverenter et expetunt et exspectant. Vocastis eum, Pater, sicut audivimus, et ut præsentiam suam vobis exhibeat sacris vestris apicibus invitatis. Paratus erat parere et comparere vobis, peccato hariolandi simulacrum inobedientiæ comparans, et

(1) Steph. Tornac., ep. 101.

voluntatem non acquiescendi vobis tanquam scelus idololatriæ detestans. In articulo summæ necessitatis nostræ, confidentes de præcipua dilectione vestra, retinimus eum, etc. . . . Suscipite, Pater, preces nostras, preces filii vestri, quem a cunabulis semper dilexistis, ut qui ante nativitatem nostram benevole desiderastis ortum, auctoritate vestra benefice comprimat nostrum desiderantes occasum. Gratum sit vobis, Pater, quod in tanto discrimine regni tantum amicum nostrum retinemus, cujus præsentia nobis est pernecessaria, et absentia perdamna.

Romam tamen profectus Guillelmus anno 1185, sedit in comitiis quibus Urbanus III papa renunciatus est; suspicaturque Marlotus rursus interfuisse Ferrariæ anno 1187 electioni Gregorii VIII. Roma reversus litigandi materiam reperit cum capitulo suo, si pronum ad lites animum habuisset. Enimvero ut decessores sui ægre patiebantur eam quam sibi arrogabant facultatem excommunicandi quemlibet ex suis malefactoribus, eosque pariter absolvendi, quem nuper, ipsis petentibus, Lucius papa suo rescripto comprobavit, sic nec Guillelmus ferre poterat interdictum, frequentesque divini officii cessationes in matrice ecclesia, speciali ac sola canonicorum auctoritate sancitas, eo vel maxime quod contenderent illi, majori ecclesia cessante, alias urbis ecclesiis tam conventuales quam parochiales, ipsis jubentibus, cessare debere. Archiepiscopus, rematurius deliberata, inspectoque eorum privilegio, a lite movenda abstinuit, scriptoque tandem concessit anno 1187, quod si ipsis aut suis clericis, aut laicis ad ipsos pertinentibus in provincia Remensi, vel alibi ubicunque de auctoritate sedis Remensis potestatem habentibus, aliquid factum fuerit quod ad damnum vel læsionem ecclesiæ Remensis cedat; nos super hoc requisiti bona fide emendare faciemus. Sin minus, capitulum licite poterit cessare ab officio divino, aliisque ecclesiis tam conventualibus quam parochialibus urbis vel suburbii injungere ut idem faciant, statu ecclesiæ S. Remigii manente, sicut antea fuit, concessa nihilominus parochis facultate ministrandi sacramenta necessaria submissa voce et cum unius campanulæ sonitu; nec interdictum solvi poterit ab archiepiscopo sine consensu capituli.

Anno 1188 dedit monachis S. Remigii pro anniversario suo aliisque anniversariis plus quam viginti celebrandis altare de Driencurte; cui adjuncto anno 1192 altaria de Villari in silva et de Louvois. Anno 1189 Salmurum missus est ad regem Angliæ a Philippo Augusto pro pace inter utrumque regem componenda. Anno 1190 eidem Philippo ad iter transmarinum se accingenti contra infideles pugnatum, sportam et baculum peregrinationis tradidit apud S. Dionysium in Francia; mox in conventu Vezeliaciensi et tutelam regni cum Adela regina sorore sua, et custodiam serenissimi principis Ludovici suscepit; Philippus vero privilegium sin-

gulare concessit archiepiscopis Remensibus de bonis mobilibus archiepiscopi defuncti; Guillelmus autem aliud privilegium abbatix Cisoniensi ecclesiæ suæ immediate subjectæ. Anno 1191 fundata est, favente Guillelmo, ab Henrico Campagniæ comite ecclesiæ collegiata S. Joannis in urbe Virtute, pro qua quemadmodum et pro Vitriaco, Regiteste, Castellione, Sparnaco, Rociaco, Fimis, Brana, et Castro-Portiano, Campaniæ comites tenebantur olim archiepiscopis Remensibus ligium homagium facere. Interea Philippus comes Flandriæ moritur in obsidione Acconis; ditio autem ejus bipartita, factum est opera Guillelmi anno 1192, ut Atrebatum aliorumque adjacentium populorum civitates in dominium Francorum cederent, cæterarum hæres Balduinus regi homagium faceret. Eodem anno Guillelmus S. Albertum Leodiensem episcopum consecravit Durocortori, et in ecclesia sua metropolitana scholarchæ dignitatem instituit. Ad eundem annum refert et luget Marlotus extinctionem victus communis apud canonicos Remenses, quibus nihilominus concessit archipræsul ut servientes liberos habere possent in banno suo; quod privilegii genus extendit postea ad abbatias SS. Remigii, Nicasii ac Dionysii. Eodem anno perrexit peregrinus ad S. Jacobum in Gallaciâ; quo ex itinere redux regis consilio interfuit, in quo de Stephano Noviomensis episcopo in Daniam legando actum est, qui Ingelburgim obtineret Canuti regis sororem, quam Philippus Augustus sibi delegerat uxorem.

Nuptiæ celebratæ anno 1193, novaque sponsa a Guillelmo uncta et diademate coronata, adstantibus episcopis ministerium suum præbentibus Theobaldo Ambianensi, Petro Atrebatensi, Stephano Tornacensi, et Lamberto Tarvannensi. At mirum, inquit Rigordus, eodem die, instigante diabolo, rex uxorem longo tempore concupitum exosam habere cœpit, paucisque revolutis diebus (intercessere dies omnino 81) convocata synodo cui Guillelmus Remensis præsedebat, linea consanguinitatis per Carolum comitem Flandrensiem ab episcopis et baronibus computata, legali judicio matrimonium solutum est; qua de re scripsit eodem anno Stephanus Tornacensis ad Guillelmum archiepiscopum. Canuto rege apud summum pontificem Cælestinam III conquerente de Guillelmo aliisque episcopis qui hoc divortium approbaverant, missi legati in Galliam Melior cardinalis et Censius, qui synodum Lutetiæ coegerunt; sed facti canes muti, inquit Marlotus, non valentes latrare, nihil profecerunt. Nil dubium est quin ea in re graviter peccaverint, et Philippus rex et Guillelmus archiepiscopus. Matrimonium enim Philippi et Ingelburgis legitimum fuisse probant, 1º rescriptum summi pontificis, quo præcepit archiepiscopo Senonensi, ut si rex aliam superinducere vellet uxorem, ipse auctoritate apostolica id eidem inhibere curaret; 2º litteræ quibus Innocentius III papa puerum et puellam quos Philippus ex Merianensi superinducta susceperat, legitimatio-

nis titulo decoravit anno 1201; 3^o ejusdem Ingelburgis ad Philippum regressus, et decennis utriusque, nemine reclamante, consuetudo. Unde mirari subit plerosque scriptores divortium illud narrasse tam contorte, ut nec veritatem prodere nec Philippum regem reprehendere voluisse videantur.

Anno 1196 Guillelmus ratum habuit quod de *foraneitate* canonici S. Quintini Veromanduensis in Ecclesia sua statuerant; præsensque adfuit homagio facto a Balduino V comite Flandriæ. Increbrescebat hisce temporibus usque ad Innocentii III papæ primordia falsariorum ingens numerus, qui nomine sedis apostolicæ quas vellent litteras scriberent. De his gravis est querela Cœlestini III ad Guillelmum Remorum archiepiscopum! refertque Rogerius Hovedenus clericum archiepiscopi Eboracensis Romæ ad mortem ægrotantis publice confessum fuisse adulterinas bullas nomine Romanæ Ecclesiæ in Angliam misisse. Stephanus Tornacensis, cui adjuncta erat cura a Guillelmo ut in diocesi sua vigilaret super sordidæ hujus mercis negotiatores, aliquos deprehendisse ei sic rescripsit epist. 221 : « De mandato vestro falsarios quosdam cautela et arte, non potentia, ad confitendum induximus promissa impunitate quantum nobis licebit, uni eorum qui adulterinæ bullæ superiorem et inferiorem molam nobis in capitulo restituit. Terribili adjuratione et devotatione confessus est sese nunquam ea usum fuisse; sed cujusdam presbyteri, qui falsas litteras vendebat socius erat, et partem infausti pretii quandoque recipiebat. Volumen etiam pugillare nobis reddidit, in quo plures litteræ sub apostolico nomine continentur. . . . Servamus vobis incudes adulterinas quarum adulteria et auctoritatis vestræ condemnentur judicio, et malleo confringantur. »

Anno 1197 Guillelmus constituit jura cancellariæ Tornacensis. Anno 1198 Innocentio III post Cœlestinum III in summum pontificem assumpto, creatus est ab eo legatus apostolicus tam in Germania quam in Francia, etsi in quibusdam illorum temporum instrumentis legati nomen non affectat. Eodem anno, mense Octobri, dedit in eleemosynam perpetuam monachis Joiacensibus centum solidos Prævinenses in nundinas S. Aigulfi in teloneo vini singulis annis percipiendos, ut missas privatas quas cum oleo celebrabant, cum cera deinceps celebrare possent. Eodem rursus anno confirmavit Præmonstratensibus privilegium eis indultum (juxta mandatum sibi directum anno 1176) quo licitum eis erat parochias administrandi; id vero præsertim de parochia Boconvillæ Thenoliensibus data ipso anno 1198. Aliquanto post, conjuratis in ecclesiam Remensem Ingelranno III Cociacensi, Rogero Rosatensi, et domino Regitestensi [Manasse II, an Hu-

gone III, videsis in novissima dominorum Cociaci historia (2)], Philippus Augustus ab ecclesia tandem malum illud, averruncavit; qua de re legenda eadem historia, pag. 55. Anno 1201 instauravit Guillelmus non longe a porta basilicari nosocomium quod fundasse tradebatur sanctissimus Francorum apostolus; illudque novis auctum beneficiis gubernandum commisit religiosis S. Antonii. Eodem anno dedicavit ecclesiam S. Basoli.

Reversus denique tertium in Italiam, ibique moro correptus, de reditu in metropolim suam cogitavit, firmatis antea Anagninæ mense Januario anni 1201, id est 1202, canonicorum suorum contra burgenses immunitatibus; sed Lauduni antequam ad Remos perveniret subitaneo morbo correptus, obstrusoque linguæ officio, obiit intestatus eodem anno, ætatis suæ sexagesimo octavo, VII Id. Septembr., Durocortorumque relatus, in ecclesia cathedrali tumulatus est juxta majus altare sub lapide cui insculpti dicuntur inconditi sequentes versus :

Moribus excelsus, providus, mitis, prudens, et pacis amator,
Annis bis denis et sex cum simplice mense
Præfuit archiepiscopus Willelmus in urbe Remensi
Septima Septembris idus fuit finis vitæ meæ.

De eo chronicon Antissiodorensis in hæc verba : « Guillelmus Remensis archiepiscopus cum Laudunum venisset, morbo subitaneo præventus opprimitur, et ocluso linguæ officio moritur intestatus : vir nobilis genere, et qui diu floruerat tam sæculari quam ecclesiastica præditus potestate. Primis sui pontificatus auspiciis satis modeste se habuit, et morum enituit ornamentis, felixque exstisset, si primis ultima responderent et usque in finem merita cohæsissent. Sed cum res in contrarium versæ sint, nec fuerit concolor finis initio, finali non attulimus laude, quem nimis reddidere notabilem et munerum injusta acceptio, et prodigalis effusio. » Huic concinit Albericus in hunc modum : « Obit Willelmus Remensis archiepiscopus VII Id. Octobr. (in mense videtur erratum) qui per annos xxvi et ultra præsulatus infulas cum favore et gloria sæculari obtinuit; sed licet non ita cum favore Dei; » quam læbem abstergere conatur Marlotus. Guillelmum celebrare Stephanus Tornacensis, Petrus Blesensis, Petrus Cellensis, Guillelmus Brito, Rigordus, Joannes Sarisberiensis, Rogerius Hovedenus, Vincentius Bellovacensis, Bzovius, Ciaconius, Baro Autoliensis, Bernerius, Donius Attichianus, Chesnius, Petrus Comestor et Gualterus poeta, qui ei nuncupavere hic *Alexandreidem*, ille *Historiam scholasticam*. Refert etiam Martenius noster, *collect. ampliss.* tom. I, pag. 946, epistolam nuncupatoriam Willelmi cujusdam, qui ei dedicavit suam microcosmographiam.